

Johann Fecht

**Decanus Facultatis Theologicæ In Universitate Rostochiensi, Jo. Fechtius ... Ad
Exeqvias Viri Summe Rev. Et Excellentissimi Zachariæ Grapii, D. Et Prof. P.
Ecclesiaæ Ad S. Jacob. Archi-Diaconi ... Invitat : [Perscriptum sub Facultatis
Theologicae sigillo, die XXVIII. Februarii, anno MDCCXIII.]**

Rostochii: Wepplingius, [1713]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755499484>

Druck Freier  Zugang



DECANUS

FACULTATIS THEOLOGICÆ
IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSÌ,

JO. FECHTIUS, D.

P. P. CONSIST. DUC. CONSIL. ET DISTR. ROST. SUPERINT.
FAC. TH. ET ACAD. SENIOR.

AD EXEQVIAS

VIRI SUMME REV. ET EXCELLENTISSIMI;

ZACHARIE GRAPPI, D.

ET PROF. P. ECCLESIAE AD S. JACOB.
ARCHI - DIACONI,

PER MAXIMA UNDIQVAq; MERITA GRAVISSIMI,
PRÆMATURA FUNESTAq; MORTE CUM OMNIM BONO,
RUM EXQVISITISSIMO DOLORE NOBIS EREPTI,
SUO ET TOTIUS COLLEGII THEOLOGICI

NOMINE

Magnificum Ac. RECTOREM,
OMNESQUE CUJUSCUNQVE DIGNITATIS ET
ORDINIS ACADEMIAE CIVES
OFFICIOSE ATQVE PERAMANTER INVITAT.

ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC. Et ACAD. Typogr.

LB FP Grap, Zacharias 1713/6
M. 271. A.

127



Vamquam luctu-
osum illum , vereque lamentabilem , qui in funere GRAPIANO
Academiam , Facultatem præcipue Theologicam , perculit , casum universa defleat civitas , moerore conficitur Senatus , contabescat squalore facer Ecclesiæ ordo , profundant lacrymas cives & inquilini , ploratu , lame-

tisqve & planctibus tota personet regio , suspiris fletibusque consumatur uxor cum liberis , raroqe exemplo maximi minimi moerore luctuqe pectora inundent , coelumqve gemitibus & supriis impleant , nullum tamen ordinem statumqve præmaturus anti Theologi excessus gravius acerbiusqve adfixit , qvam eos quidetrina exemplo universæ curam agere Ecclesiæ , eandemque vd inruere præsidio , vel exornare opera Divino mandato jubentur . Qvi vel de Rep. vel de partibus ejus studio operaque præclare mereitur , eorum (e vita excessus integras civitates & provincias , qvib⁹ immortali cum nominis sui gloria præfuerunt , in inconsolabilen sepe dolorem , cum ignorent , jacturam , bono publico illatam , quo pacto resarciant , conjiciunt . At qui Divinis præsidii , ut es Ecclesiæ religionisqve curarent , instructi , earundem salutem , donis muneribusqve supra vulgarem sortem polentes , salutari admirandoque successu fructuque promoverunt , his si ex hoc mundi decadant , si operam suam , si bene de nobis merendi studium Ecclesiæ subtrahant , deslendis & si fieri posset , revocandis in vitam , qvis lacrymarum imber suffecerit ? Habuit Ecclesia hic nostra & Academia superioribus temporibus viros , in quolibet Theologæ eruditioonis genere illustres , qui tanquam Atlantes doctrinam suarum humeris fulcrisqve sustentare Ecclesiæ corpus , illiusq; famam æternitatis templo inserere poterant & consecrare . His GRAPIUS nulla in re minor , si vitæ ei diuturnior usura concele fuisse , illorum operam meritaque , in fastigium , quo altius adstendi non potuisset , (erat enim & ingenio & doctrinarum copia & patientia

lab.

laborum nemini impār) eluctatus fuisset. Erat GRATIO Divinum
ingenium, quo res quaslibet, à selectas, & capere facile & pene-
trare intime poterat. Erat judicandi facultas, qua citra laborem,
citra negotiosum scrutinium, veritatem ab errore & solidum à
fusco discernere posset. Erat laborum tolerantia miraculo non
absimilis, qua legere innumera, lecta digerere in ordinem, digesta
dijudicataque calamo describere & in aeternitatis usum induere typis
poterat. Vix dimidiā absolvit ejus aetatis partem, quam homi-
ni, si assurgat ad summum quasi fastigium, juxta consuetum natu-
ra ordinem, obtingere Divinus Moses olim edixerat, & quæ scri-
ptorum moles, quæ argumentorum varietas, in lucem publicam
ab eo non fuit protrusa? Signabimus postea operum scriptorumq;
viri quandam indicem, ne eorum apud posteros nostros memoria
obliteretur. In his oculis tuis, quisquis es, intuere & animo tuo
repræsenta memorabilem illam Tractationem, triplici libro de-
scriptam, quibus titulum præscripsit: *Theologiam recens contro-
versum, continuatam & absolutam.* Quantam hæc quamq; varian-
tia prefert variorum scriptorum lectionem? Nec enim in eadem com-
parent vulgaria tantum, notaque omnibus nomina. Ipsam Galliam,
Angliam, Belgium, Italiam & regna supra vel ad Oceanum alia
pervagatur, aque horum doctoribus minus recte, neque
sanioris doctrinæ, ab Apostolo nobis tantopere commendata, ana-
logiae convenienter vel dicta vel Theologiæ corpori illata, emen-
dat, castigat, exque verioris Ecclesiæ pomœriis proscriptit. Qvod
quam parce timideque ab aliis factum fuerit, res loquitur ipsa.
Qvibusdam qvidem generalem religionis faciem amantibus, vide-
buntur hæ disquisitiones neque necessaria esse neque fructuosæ,
causatis, subtilitates esse vel Metaphysicas, vel ex curiosa magis
quam solida & ad serium in Christianismo usum directa intentio-
næ profectas. Sed GRATIO persuasum fuerat, nullum veritatis
à DEO revelaræ partem more hujus seculi hominum parvi penden-
dam esse, cum qvicquid ex ore DEI egredetur, pretium ab ipso
auctore suo obtineret, quale Divinæ majestati conveniret. Qvana
veritatem, nauci facere, nasoqve, quod in proverbio dicitur,
adunco suspendero, non iniquum tantum in Deum, sed blasphem-

caum esse reputabat. Erat GRAPIUS irreconciliabilis Syncretismi osorum. Hoc hominum genus patrum nostrorum memoria ingentes in Ecclesia nostram excitavit turbas. Præviderunt facile ejus temporis Theologi, in quam sentiendi scribendique licentiam, nisi Theologorum, veritatem ecclestiem justo pondere testimantium, opera obex ei poneretur, illa religionum confusio abitura esset. Illi dum malo huic, ex ipsis pacis atque concordiae blandimentis vires acquirenti, obicem ponerent, alia caput extulit secta, quæ sub severioris pietatis delinitamento, relegatis ad oratum sanis litigitoribus, eandem cum Syncretistis cantilenam media in Ecclesia nostra, majorique, quod temporis nostri fatum est, cum successu, occineret. Hos Pietistarum nomenclatura insigniri ipsorummet nonnulli magnæ sibi gloriae ducebant, alii fabulam esse Pietismum nugati, de illata sibi atroci injuria conqvrebantur. Videbantur hi severioris Christianorum vita professores, eo præcipue tempore, cum institutum illud nondum in anilem illam, quæ postea obrepserit, superstitionem & mentium humanaarum ludibrium degenerasset, tolerandi esse, quod & nonnulli quandoque impense laudabant. Tandem quo vel figmenta ista vel molimina tenderent, non tam dolendo quam execrando experimento omnium oculis patuit, cum ex Pietismo Indifferentius, ille non amplius clam & dissimulanter, sed propalam atque in oculis totius Ecclesiae, popululavit, quem ex politicorum ordine apertissime plurimi planissimeque, ex Theologorum classe, quotquot huic monstro calamis oris quearma opponere reformati, profleri non amplius erubescunt. GRAPIUS his se infestum irreconciliabilemque inimicum ut profiteretur, nullam unquam occasionem neglexit. Erat enim pectus ipsius probum, sincerum, candidum, non illitum fuso, non pigmento obductum, non purissimo & lenociniis adulteratum. Quicquid novorum placitorum, sententiarum, opinionum, ab iis, qui vel ostentando ingenio, vel turbanda nostrarum partium concordiae, vel dilatanda credendi sentiendique licentiae student, in Ecclesia theatrum intrudebatur, id quotiescumque ferebat occasio, obelo, censura, animadversione proscriptio. Non veritus obrectatorum odia,

non

non falsorum fratrum invidiam, non hostium persecutio[n]es. Haec deditum Deo candidæque veritati ut ferre livida malevolorum cohors haud potuit, ita cum dentes mordaces & calumniatrices in eundem defixisset, masculo semper robore & animi confidentia artes ipsorum technasque elisit. Inditum sibi hunc a Deo Divinæ veritatis & Christianæ fortitudinis spiritum cum in plurimis, editis in publicum, speciminibus demonstrasset GRAPIUS, iis in primis, quibus vel Terminum salutis humanæ peremptorium adversus intempestivos Ecclesiae nostræ turbatores reprobaverat; vel insestimabile beneficium conversi in Germanicam linguam S. Bibliorum codicis, contra sciolum quendam, qui in Lutherum censorium supercilium distinxerat, vindicaverat; vel qui poenit damna torum Diabolorumque infernalibus, quasi amicitiam cum dæmonie, ejusdem salutis cohærede, contracturi, æternitatem abjudicaverant; vel qui dæmonum existentiam, ut eo minori sollicitudine vitandi Satanicas tentationes & insidias angerentur, in dubium vocaverant; vel qui amorem Dei & caritatem proximi, abjecta sacrorum dogmatum notitia, tanquam ad salutem neque necessaria, neque utilitatis quidquam habente, unicum salutis nostræ fundamentum constituerant; vel qui donis administrantibus, cum fide & sanctitate non conjunctis, fructum omnem & convertendi hominem virtutem atque efficaciam abrogaverant; vel qui novas novorum Prophetarum revelationes in eundem cum antiquis Bibliisque prophetiis censem retulerant. Tot tantaque edidit doctrinæ senioris documenta GRAPIUS. Quibus postremo quidam quasi accessit colophon, cœteris omnibus memorabilior. Requiebatur ante biennium à Collegio Facultatis nostræ è Comitatu WALDECensi ad certas de quibusdam, insinuantibus se in provinciæ Ecclesiæ scholasque, Fanaticorum doctrinis questio[n]es informatio & sententia. Data illa juxta leges nostras est & conscripta à GRARIO tum Decano, editaque, nobis quidem non repugnantibus, qui rationem reddere fidei nostræ quibuscumque parati sumus, in publicum Corbaci. Cum doctrinas horum no[n]vaturientem jam antea comprobassent duo in vicinia ista Theologi, quorum judicium ad veritatis limam breviter revocaverant pariter

rogati Rostochienses , illi iracundia exæstuantes unam judicem
GRAPIANI pagellam decem integris quaternionibus, selle & amari-
tudine , quod pietatis Professoribus hodie solenne est , oppletis,
refellere anni sunt. GRAPUS igitur denuo , ceu antea , Decanus ,
Vindicias parare jussus , novo specimine inextinctum conservandæ
defendendæque purioris doctrinæ ardorem testatus , masculo im-
perterritioque animo antiquam veritatem defendit . Extat in pu-
blica luce scriptum paulo ante fatalem morbum compositum edi-
tumque , ut orthodoxæ ad extreñum usque vitæ halitum adhæ-
sisse GRAPIUM , neque ullis maledictis probrisque , quod in sin-
gulari gloria suæ parte semper posuit , à firmo animi proposito di-
moveri potuisse , immortale erigeret monumentum . Qyis vero , si
ingenuum foveat pectus , si veritatem , è tenebris à Luthero erutam ,
animo non fallaci & fucoso complectatur , si concordiam , Eccle-
siæ à Servatore nostro tam sollicite commendatam , sine dolo , si-
ne fraude amet , non in pretio habeat , collaudetque illos , qui do-
ctrinæ nobis Divinitus traditæ tenaciter adhærent , neque suaves
sycophantarum audiunt cantilenas , si iſthoc pacto Ecclesiæ nostræ
concordiam stultæ novitatis studio potiorem habeat , nec concordiae
vinculum in litium jurgiorumque materiam convertat ? Hunc veter-
is orthodoxyæ amorem , quem omnibus hujus mundi divitiis , fa-
voribus , adulationibus , excogitationibus , criminibus potio-
rem habuit , quacunque data , immo accepta occasione , in omni-
bus suis scriptis , disputationibus , programmatibus , concionibus ,
ne quisquam de fixa animi sui sententia , conscientiaeque suæ con-
victione dubitare unquam posset , clarissime ante oculos posuit .
Qua de re cumprimis amplissime testatur , non tantum Theologiae
Polemice libri celeberrimi quondam D. Rhawii , Avi sui , è MSto
ante triennium ab ipso editi , ut hodie quoque , ita ipse in Praefatio-
ne GRAPUS , in testimonium aliquod veritatis antiquæ contra quos-
cunque Novatirientes adduci possint ; ceu revera ejus lectione in pu-
dorem dari possunt , quotquot hodie novitatibus vel Pietisticis , vel
Indifferentisticis delectantur ; sed & clarius longe testimonium præ-
bebit ipsius GRAP. Compendium Theologiae Positivæ universæ , ex
obligatione nostra erga DEUM deductæ , quod in iterata editione
singulis

singulis propemodum thesibus varios sine ulla ~~πρωτοτοκία~~
veritatis aduersarios, quibus thesis opponatur, subjicit. Nec in
cæteris quoque scriptis, quorum plurima recentissimis novarum
doctrinarum fabris opposita sunt, vel errores dissimulat, vel hy-
pocriticarum more excusat. Ipsa docere hoc poterit ocularis inspe-
ctio. De iis, qui Pietismo aperte addicti sunt, nihil dicemus. Ex
iis, qui veriorem se sectari partem videri volunt, non pauci va-
pidam gestant sub pectore vulpem.. Hi studiose carent, ne un-
quam in argumentum sese immittant, in quo vel mentionem fieri
Façtaticorum necesse sit. Si declinari id nequeat, summâ cum
moderatione judicium suum de eorum assertis interponunt, ne
favoris hujus seculi hominum, qui rerum publicarum omnium
finem in nullâ re alia, quam in publica tranquillitate ponunt, fa-
ciant jacturam. De GRARIO vere dici poterat, mens ei fuerat
in docendo pura, simplex, dolinescia, ingenua, fucisimulati-
onisque expers. Nec tamen in hoc solo substitut GRAPIANI no-
minis gloria, alia plurima sunt, quæ ad hoc laudis & existimati-
onis culmem eundem provexerunt. Laboriosus erat & negotiis
cum sacris tum literariis integrös dies, integrasque noctes ob-
septus. Summa ei semper voluptas in legendo, in scribendo, in
docendo. Ei fini selectissimam sibi Bibliothecam, amplissimo li-
brorum apparatu in omni eruditioñis genere, Antiquario, Exegeti-
co, Polemico, Morali, Homiletico, Philologico & Philosophi-
co instructam, non parcens auro argentoque, sibi comparavit.
Cum qua ita familiariter versabatur, ut depromere ex ea, quic-
quid in quocunque eruditioñis genere necessarium ipsi fuerat, ci-
tra negotium posset moramque. Iis, qui Theologiæ studio de-
diti fuerant, scholas varii generis, indefeso semper studie aperuit,
sive fundamenta doctrinæ nostræ ponere, sive adversus varios re-
ligionis nostræ hostes instrui, sive in disputando proque sugge-
stu perorando exerceri, sive in S. Literarum exegesin manu duci,
sive Ecclesiæ historiam cognoscere, sive Moralis disciplinae soli-
diori notitia imbui cuperent. Hanc quidem SCHOMERIANA
methodo insistens cum Didacticæ Theologia perpetuo conjunxit,
testatus, mutilam hanc & mancam esse, nisi in illa universa simal

ex

obligatione nostra erga DEum deducerentur & quo pacio , que
in illa docentur , ad salutarem dirigantur praxin , dilucide demon-
straretur . Quid enim æquius sit , quam eos , qui in Academiis
sacris studiis , ~~sacrogae~~ ministerio destinati sunt , ea ante omnia
æcetera notitia , iisque præsidiis instrui , quibus & alias ad eundem
deducere finem , nec auditores suos tantum variarum rerum perito-
ros , sed & DEO devotos , Christianisque moribus , id est , sancti-
tati pietatique deditos reddere possint ? Qyod equidem eò ma-
gis necessarium est , quo in Academiis , ubi liberior est vivendi ra-
tio , proniorqve ad varios excessus ipsa ætatis constitutio , frequen-
tius imbui juvenilia pectora quotidianis adversus impios mores mo-
nitis debere omnes confitemur . In primis cum iis , qui promo-
vendæ pietati professam addicere operam videri volunt , magna-
cum acrimonia hoc nostris Academiis objectent , quod pietatis in
iis studium susque deque habeatur , atque ideo in iisdem tam fre-
quentes audiantur exorbitationes . Qvæ tamen criminatio , qvod
ex animo livido malitiosoqve oriatur , vel inde manifestum est qvod
in una ipsarum illarum Academiarum , qvæ pietati promovendæ
adeò insudant , unus Theologorum in Epistola quadam , in publi-
cam lucem edita , ingenuè profiteatur , qvod ex turbis de Pietismo
motis Academia illa nihil aliud lucrata sit , quam ut irritatis ex-
teriorum animis labem contraxerit , forte nunquam eluendam , eo pa-
tissimum nomine misera , qvod sanctiora non solum hanc impetrave-
rit , sed eorum loco præstinam solidioris doctrine gloriam amiserit .
Ita nempe aliorum obrectatores domesticis suorummet testimoniis
confunduntur . GRAPIUS certe veræ , non simulatae illus & in
labiis tantum aut colli inclinatione aut frequentibus suspiriis haeren-
tis , sanctitatis adeo tenax erat , ut non per totam tantum ideo urbem
consensu omnium , tanquam uno ore celebraretur , sed ipse quo-
qve , in impietatem etiam omnem , excessusque ab Academiæ
civibus commissos pro sugestu graviter & ad omnium terrorem in-
veheretur , sed si qy ob exorbitationes delati ad Academiæ magi-
stratum , conciliumque fuissent , severiorem iis plerumque quam
alii dictayerit poenam . Extant in catalogo scriptorum ipsius
tres de Atheismo disputationes , diversis temporibus , deque variis

• rca

circum eundem quæstionibus agentes. Id malum cum ex Indiffer-
rentismo hodierno , ubique hodie non minus sub pietatis specie,
quam illa , quæ inde nomen naœta est, secta , in civili præcipue
Christianismo , cuius unicus finis est, ut Reip. ita Ecclesiæ , ser-
fita omni non pietate tantum , sed & honestate , tranquillitas
insinuante , tanquam ex largo fonte exoriatur , apud animum suum
GRAPIUS constituerat, fusiore descriptione & severiore censura pro-
seqvi, nisi Divinū consilii per præmaturā mortē àsalutari hoc proposito
illum avocasset. Jam qvid de laboribus ipsius Exegeticis dicemus ?
Cui se studio ita impense fervideque dederat , ut comparato sibi
grandi pretio Bibliorum πολυγλωττων opere , in quarumvis dif-
ficultatum abdita penetrare niteretur ; tanto id quidem successu
ut cum vel pro cathedra , vel in Candidatorum explorationibus ,
de locis abstrusioribus differeret , nonnisi cum singulari delectatio-
ne audiretur. In primis cum his studiis linguarum Orientalium &
Antiquitatum Judaicarum , de quo tres de Talmude disputationes
indictum faciunt , peritiam conjunxerit. Qvod & quam variis
argumenti Disputationes hac in eruditionis parte proposuerit , ejus
rei index , qui sequetur , documenta præbebit Singularem ad
hoc studium ὄμηρον GRATIO addidit , quod BOHLEIANA scripta
cum in manus ipsius pleraque devenissent , impensis admirari &
interpretandi institutum , quippe ex originali textu & intimis e-
jus visceribus sensum simplicem , nec dubitationi facile obnoxia-
rum , investigans , imitatione consecutari sibi proposuisset. Cujus
ideo Analyticam Paraphrasin Psalmorum ante triennium recudi cu-
ravit & Exegesin Prophetæ Zachariae , quæ à Bohlio ad caput tan-
tum octavum deducta fuerat , suam interpretatione ad finem us-
que Prophetæ continuavit. In Præfatione , quam utique opu-
sculo præfixit , memorabile est , ita de Librorum Biblicorum Exe-
gesi judicare GRAPNUM , quod lubentissime communiores solidi-
oresque accuratiorum nostrorum interpretum sententias selegerit ,
adprobaveritque. Abominari enim se in Exegesi ejusmodi nova ,
quibus quamplurimi interpres saepius dedita quasi opera in-
dulgere ament , quamvis interdum non nova , sed recœcta tantum
propinentur. Mare quidem amplissimum esse sacratissimam Scri-
ptu.

pruram; in quo piscari unus & invenire , quod aliis haud liceat,
possit , sed novaturiendi tamen studium & cupiditatem , ubi gra-
vis eandem ratio haud requirat , meritò fugicndam esse , ne ad-
versariis criminandi materiem , ac si natus cereus esset Scriptura
& sensus quoilibet flecti facile posset , sub ninistremus . Quæ
rari exempli in GRAPIO modestia & laudem omnino meretur
& imitationem . Sed & ad Ecclesiæ histriam & externarum
religionum considerationem , quæ rari exempli res est , veritatis
amor & inserviendi Academicorum suorum studiis desiderium GRA-
PIUM pertraxit . Eminet in hoc argumento Rostochium Evan-
gelicum , in quo patriæ urbis & Ecclesiæ historiam à Reformatio-
nis tempore ad hunc usque diem ita exacte curateque describit ,
Ecclesia religionisque fata & eorum , qui in eadem singulis tem-
poribus docuerunt , vitam resqve gestas , quasi in pictura & ima-
gine quadam , summa cum lectoris delectatione ob oculos ponat .
Ex quo non Reip tantum cives in religione cultuque Divino , tan-
ta cum fatorum varietate , singulari & quasi miraculo DEI benefi-
cio , quod paucioribus equidem contigit , ad ipsos derivato , con-
firmari , sed & hujus Ecclesiæ exemplo alii doceri poterant , quan-
ta fidelitate , quantaque constantia , ut sacrum verbi Divini de-
positum purum illibatumque ad posteros traduceretur , majores
hic nostri summa cum nominis sui gloria adlaboraverint . Ad
historiam quoqve atqve controversias , extra Germaniam nostram
agitatas digressus GRAPILUS , Arminianorum , Latitudinariorum ,
Rationalistarum , Hobbesianorum , Hollandorum , Ranterorum ,
Pajonistarum , Antinomorum , Neonomorum , Jansenistarum ,
Naturalistarum , Monachomachorum , Cavallierorum , aliorumque
in Anglia potissimum & Belgio sectariorum , doctrinas , easqve
vel monstrosas vel speciem qvandam habentes , rogatus ab auditori-
bus , Fasciculo Exoticarum controversiarum comprehensas , di-
lucidavit , ut materiae simul intervirent , in qua disputando illi in-
genia sua exercentur . Qyinimo ad Turcica quoque & Mahum-
medana progressus , rari exempli scriptum , Achmet Ben-Abdala
Epistolam ad Serenissimos Auriacum & Portugalliae Principes , illi-
usqve Epistolam Theologicam de Libero arbitrio , ad Dominum ,

do

de Aquila scriptam utramque sibi à D. Godofredo Christiano Goezto,
JCTo. communicatam , in lucem publicam produxit. Qvamqva
de Turcarum religione , quod præcipue ejus adversus Christianos
defensionem concernit, nonnulli ex Muhammedanis, quorum opu-
scula J. H. Hottingerus recenset, laborem curamque impenderint,
illa tamen neque lucem adspexerunt unquam , neque alia quam
Saracenica lingua exarata in Oriente reperiuntur. Ut præter du-
as has epistolas , elenchum adversus Christianos institutum comple-
xas , aut parum aut nihil ejus generis in Germania fuerit visum.
Lectissimæ in illas sunt nota & observationes GRAPIANÆ , ve-
ritatemque religionis Christianæ adversus intortas Mahummedani
objectiones masculine defendunt. Qvo verò pacto & in Homileticis
ad sacros sermones paraverit eos, qui in hoc exercitiorum genere
ministerium suum DEO consecraverant , non tantum peculiari in-
structione , (Oratorem Ecclesiasticum appellavit) certisque regu-
lis , publica luci expositis , edocuit , sed editis quoque tribus Ho-
miliis , tria Homiliarum genera Syntheticum naturale . Schematicum
Analyticum & Schematicum Syntheticum representantibus, exemplis
nempe regulas illustrantibus, animo Auditorum suorum memoriamque
insinuavit. Ut nulla nempe in re Scholasticam juventutem de-
stitueret , que ædes ipsius magno numero quotidie adeundo,
ab ore sui doctoris sapientiam haustura , frequentabat. Poterunt
GRAPIANÆ eruditio nis opes , uberes certe & pretiosæ , inque
boni publici utilitatem & ornamentum natæ factæque , pleniore
verborum apparatu recensi , sed Programmati mensura exce-
denda non est. Quare editorum tantum ab ipso catalogum ad
conservandam eorum memoriam subjiciemus.

INDEX.

Scriptorum

D. ZACHARIÆ GRAPII,

Secundum annorum seriem dispositus

Annus clxixci

- I. De subsistentia speciali Disputatio Philosophica Praefide M.
Georgio Balthasare Mascovio Gryphiswaldia habita.

B 2

Annus

- Annus cl^o lcxci.
- II.** *De generatione Messia aeterna, ex Ps. II, v. 7. sub Praesidio D. Fechtii Disp.*
- Annus cl^o lcxci.
- III.** *Idea Talmudis Hierosolymitani. Lips.*
- IV.** *An Talmud sit cremandum? Ib.*
- Annus cl^o lcxci,
- V.** *De calunnia Ono - & Chorolatria, Iudeis & Christianis olim adspersa. Lips.*
- VI** *De rosa aurea à Papa Romano quotannis solemniter consecrata. Ib.*
- VII** *Miscellanea decurta pro receptione in Fac. Philos. sub Praes. M. Jo. Gottl. Mölleri.*
- Annus cl^o lcxvii.
- VIII.** *Inauguralis pro primo in Theologia gradu, controversias quasdam recentiores de versione B Lutheri Germanica examinans, sub Praes. D. Fechtii.*
- IX.** *De controversia novissima inter Dn. Jurieu & Dn. Bayle nuper in Belgio agitata: an atheismus necessario ducat ad corruptionem morum?*
- X.** *Rubicundus & candidus victor ab Edom, sine socio sociaque tetrica calcans, ex Jes. LXII, 1--6.*
- XI.** *De Menais & Menologii Gracorum*
- XII.** *Christologia Isajana torcularia, ex Jes. LXIII, 1--6.*
- Annus cl^o lcxviii.
- XIII.** *Controversia recentior Theologica Pajonismi in Gallia & Belgio hucusque agitata de verbi Divini influxu in conversionem, Quæ Dissertatio postea annexa fuit priori Theologie controversa editioni.*
- Annus cl^o lcxci.
- XIV.** *Inauguralis pro Licentia, libellum vernaculum: de aeterno Evangelio δόνατος γένεως μάρτυρ, examinans, sub Praesidio D. Fechtii.*
- XV.** *De Iudeorum & Muhammedanorum Chibbuth Hakkebher, seu percusione sepulchrali Disputatio, annexa postea Ahmet Ben Abdalæ epistola Theologica de libero arbitrio.*

XVI

XVI. *Riga literata.*

XVII. *Controversia recentissima historica: an circumcisio ab Egyp-
tiis ad Abrahamum fuerit derivata?* à Jo. Marshamo,
Anglo, potissimum & Jo. Spencero mota.

Annus cl^o lcc.

XVIII. *Historia literaria Talmudis Babylonici.* Diss^{p.} II.

XIX. *De Cartesiana methodo convincendi atheum.*

XX. *De placitis quibusdam scripti recentissimi sub titulo: Geologia.*

XXI. *Discursus ecclesiasticus popularis ex Rom. II, 1...II.* De divi-
ne gratie neglecta, Termino Peremptorio oppositus & à D.
Nihenckio postea contra quendam blateronem aliquoties de-
fensus.

Annus cl^o lcccl.

XXII. *Spicilegium historico-Philologicum sistens historiam literari-
am Alcorani.* Et hoc comparet sub finem Epistole Theologica
Ahmet Ben Abdalæ de Libero arbitrio.

Annus cl^o lccii.

XXIII. *Specimen Metaphysica Biblica.*

XXIV. *Controversia selectiores ex Theologia naturali de Deo ejusque
attributis.*

Annus cl^o lcciii.

XXV. *Controversiae selectiores de mysterio S. S. Trinitatis.* Quæ
utraque Disputatio deinceps Theologia recens controversæ qua-
si fundamentum prabuit.

XXVI. *Suspectarum quarundam locutionum Calvinismum sapienti-
um, in Ed. Leigh. Critica S. Nov. Test. occurrentium Pen-
tadecas.*

XXVII. *An Aristoteles fuerit Atheus?*

Annus cl^o lcciv.

XXVIII. *De concionibus artificiosis & Alamodicis.*

XXIX. *Orator ecclesiasticus, V. Imperativis homileticis Lipsiensibus
instructus.* 8vo.

Annus cl^o lccv.

XXX. *Controversia recentior de tentatione Eva & Christi à diabo.*

*lo in assumpto corpore facta ad loca Gen. III, 1. s. & Matth.
IV... s. contra Balth. Bekkerum & Zach. Weberum.*

XXXI. *Controversiarum Theologicarum & quidem exoticarum,
qua recentioribus his temporibus fuerunt mota, fasciculus.*

XXXII. Ahmet Ben Abdalæ, *Mohammedani*, epistola Theolo-
gica de articulis quibusdam fidei ad Serenissimos Auriacum &
Portugallia Principes scripta, è Mſso. Anglicano edita, noīis
que ac animadversionibus Critico-Theologicis in disputationi-
bus privatis illustrata ac refutata.

Annus clo loccvi.

XXXIII. Ej. Epistola Theologica de Libero arbitrio ad Dn. de A-
quila scripta, è Mſso. itidem Anglicano.

XXXIV. Vindicia disputationis inauguralis contra eternum Evan-
gelium habita adversus autorem à woxatācōwe, tribus
disputationibus quoād materiam illam de statu animarum post
mortem exposita.

XXXV. Compendii Theologie positiva universa ex obligatione no-
stra erga DELM deducta specimen. 800.

XXXVI. Programma natalitium de ritu adorandi solem tempore
natalitatis Domini.

XXXVII. Programma funebre Bernardo Elfers, Senatori Rosto-
chienſi scriptum.

Annus clo loccvii.

XXXVIII. Rostochium Evangelicum, historiam Civitatis Rosto-
chienſis ecclesiasticam inde à Reformationis temporibus usque
ad nostram etatem complexum, una cum concione, occasi-
one turris Nicolaitana, procellosa turbinis vi anno 1703.
dejecta. in templo Jacobeo habita. Scriptum vernaculo
idiomate conformatum. Rostochi & Lipsia 12mo.

XXXIX. XL. XLI. Tria Programmata exequialia, memoria D.
Georg. Melchioris Schweiſeri, Consulis Rostochienſis,
Margarethæ Schönloviae, Christiani Kneſebeckii, Senato-
ris Rostochienſis, reliete vidua, & Elsa Spengmanniae, D.
Jac. Seb. Laurenbergii vidua consecrata.

XLII.

XLII. Programma de hirco emissario, populi peccata in desertum
bajulante, ad Lev. XVI. occasione controversiarum quarundam
in Anolia & Belgio nuper motarum, tempore Quadrages. pro-
positum.

XLIII. Programma ad solemnia Paschalia de die Διολύτεως veterum.
Annus eis lccviii.

XLIV. De Theologia Sinensum, ejusque reformatione à Jesuitis
tentata.

XLV. Controversia recentior: an pietas vel amor sit fundamentum
fidei pacisque ecclesiastice cum Reformatis?

XLVI. De decoribus sanctitatis ex utero aurora & rore juventutis
Messiae, ad Ps. CX. 3.

Annus eis lccix.

Edidit & præfatus est hoc anno ad

XLVII L. Balthas. Rhauwii Theologia Polemica Partem I.

XLVIII. M. Sam. Bohlii analyticam paraphrasin Psalmorum, ver-
naculo sermone exaratum. 8vo.

XLIX. Jo. Meineci Christus à Tridentino Concilio excommunicatus.

Annus eis lccx.

L. De donis administrantibus & sanctificantibus.

LI. De verbo abbreviato, ex Rom. IX. 28. coll. cum Jes. X. 23.

LII. Theologia recens controversa Pars. I. Edidit quoque hoc anno

LIII. Partem II. Theologia Polemica Rhawianæ.

LIV. LV. LXI. III. Orationes sacra de Tentatione, ad Matth.

XX, 20. 23. De igne Pentecostali, ad Act. II. 1. 13. &
de Testamento Christianorum quotidiano, Luc. II, 29. 32.
vernaculo sermone publicè dictæ. 8vo.

Annus eis lccxi.

LVII. De Neo Prophetis Cemmenis, Angliam & Scotiam: hodie
turbantibus, speciatim contra Dn. Lacy, Equitis Angli-
cani judicium.

LVIII. De Theologia per ignem. Praefatus est & edidit

LIX. M. Sam. Bohlii Analysis & Exegesis Prophetæ Zacharie à
Cap. I. usque ad VIII. quibus reliqua ipse Grapius addidit.
Rost. & Lips. 8vo. &

LX. LXI.

- LX. LXI. *Theologia Polemica Rhawianæ Partem III itemque IV.*
LXII. *Theologie recens controversa Continuatio seu Pars II.*
LXIII. *Christologia recens controversa seu Pars III. Theol. Controversæ.*

Annus clo lccxii.

- LXIV. *Theologie recens controversa Pars absoluta seu IV.*
LXV. *Prefatio ad M. Dav. Caspari Breviarium Theologiae Morælis à Filio ex MCto. editum.*
LXVI. *Defensio Christiana adversus Facultatis Theologica Gieffensis sic dictas doctrina famaque vindicias, nomine totius Facultatis Theologica Rostochiensis exarata. Scriptum est in causa Pietistica Waldeccensi luculentissimum, idiomate Germanico.*
LXVII. *Sermo exequialis vernaculaus M. Christiano Hildebrando, Rationalis Philosophie in Academia nostra nuper Professori dictus.*

Qvæ ad vitam GRAPIANAM spectant, Rectorale Programma fusius enarrabit. Natus Rostochii die VI. Octobris anni MDCLXXI. Patre cognomine & in iisdem officiis constituto, Matre MARGARETHA RAWEN, vidua grandæva & in insperato hoc luctu vix animam trahente. Innexa huic familia sunt magna nomina, Krackevizorum. Rhawiorum, Koenigorum, Quistorpiorum, Bottsaccorum. In Academiis audivit Cobabum, Schomerum, Henningium, Habichhorstium, Rangonem, Dassoviun, Colbergium, Mascovium, Gebhardum, Carpzovium, Ittigium, Moebium, Lehmannum, Olearium, Alberti, Schmidium. Familiariter versatus est cum Pfeiffero, Hohnstædtio, Deutschnanno, Lœschero, Hannekenio, Neumanno, Kirchmayero, Donato, Roerenseio, Feustkingio, Rechenbergio, Menckeno, Bechmanno, Velthemio, Lynckero, Beiero, Posniero, Schubarto, Hebenstreitio, Müllero, Wedelio, Oleario Specimina eruditioñis suæ jam in juventute præclara edidit Gryphiswaldia, Rostochii, Lipsiae. Magistri decus Gryphiswaldia, Bacalaurei & Doctoris Rostochii obtinuit Professio Physices & Metaphysics, itemque Archi-Diaconatus Jacobæus ab Amplissimo Senatu Urbico ei collatus est anno MDCCXCIX, Theologica.

Pros

Professio a. MDCCIV. In cuius Facultatem receptus, quater*ter*^a, vice Decanatum gessit, annis MDCCVI, MDCCIIX, MDCCX MDCCXII. Primum conjugium anno MDCC. contraxit cum CATHARINA SOPHIA, Summe venerabilis D. QUISTORPI nostri Filia. Ex qua natus est JOANNES SAMUEL, Paternis virtutibus sacratus. Secundum anno MDCCVII. cum CORNELIA MAGDALENA, magni celeberrimique Daniae Theologi BARTHOLDI BOTSACCI Filia, ex qua natæ Filiolæ, ANNA DOROTHEA, MARGARETHA CHRISTINA, CATHARINA SOPHIA, & HEDWICH MAGDALENA. Quæ nunc Matris, Fœminæ incomparabilis, deliciæ, cum Patris in se plusquam maritalem affectum in quotidianam memoriam revocant, doloris quidem acerbitatem ad horas quaslibet & singula momenta refricant, sed DEI simul, tenerimi viduarum patris, nunquam sui immemorem affectum in memoriam revocant, Non equidem luctus aceritas, quæ GRAPIANAM QUISTORPIANAMQUE cum BOTSACCIANA domum Familiamque tam in-sperato, tam immaturo, tam flebili GRAPII nostri morte non tam adfligit, quam opprimit penitus & enecat, ullis exprimi verbis potest, sed fidem tuam, quisquis es, simul appello, gravissime vulnus Academiæ nostræ Ecclesiæque, qua illa ab irruente in eam impetu quodam Indifferentistico Fanaticismo libera est, infligi quam fato tam flebili potuisset? Vix annus est præterlapsus, quo excellentissimæ eruditionis Theologum, JOANNEM PETRUM GRUENENBERGIUM, morte non minus immatura amissimus. Florebat duumvirorum horum celebrata ubique locorum eruditionis fama Academia nostra, hoc pari superstite nihil deesse illi ad summam gloriam videbatur, contendere cum plerisque aliis in Germania Academiis jure quodam poteramus. Afflita per-bellicos, omnia in medio nostri vastantes, motus, Academia, amittimus Atlantes, humeris hastenus suis eandem gestantes, orbamur gloria, qua ad cœlum elata illa fuerat, parum abest, quin ad incitas redigamus. Cum ante quinquennium ad vicinam Academiam expeteretur eruditionis fama GRAPIUS, Stator Servatorque Academiæ nostræ, Serenissimus FRIDERICUS WIL-

C

HEL.

HELMUS, ne hoc ejus præcipuo ornamento fulcroque orbaretur,
providit. Destinavit ipsi & amplissimam in Consistoriali judi-
cio Adsessuram & Superintendentis titulo Ecclesiarum in Distri-
ctu Meelenburgico inspectionem, Ducalemque Theologiae in A-
cademia Professionem. Pro tanto tamque illustri, conferen-
do, si vixisset GRAPIUS, in Academiam beneficio æternas
TIBI Dux AUGUSTISSIME, ex submisissimo pectore agimus gra-
tes. Quo minus eo fruamur, eopse tempore, quo vocari GRA-
PIUS & obire munia debebat, periculoſo, mox lethali, morbo
oppressus, DEO, ad æternas ipsum sedes muneraque vocanti,
obsequi, nos, qui mœrore quotidiano & lacrymis laceramur
& conficimur, orbos tanto beneficio relinquere debuit. Hæc
tamen spes, hæc fiducia in Te posita est, Dux encomio nostro
major, fore ut curam erga Academiam Tuam nec posthac de-
ponas, sed ut illa Tuis beneficiis, Tuo affectu, sollicitudine Tua
frui perpetuo possit, providentissime disponas. Ita bene de Ec-
clesia, bene de Republica literaria, bene de bonis omnibus
mereberis, nosque illustrissima hæc Tua merita, cum nihil ali-
ud sit in viribus nostris, æternis Academiæ nostræ annalibus in-
scribemus. Nec verò minore sollicitudine res nostras curabitis,
Amplissimæ Reip. urbanæ Proceres. Qui affectu non minus pa-
terno hanc bonarum literarum, bonorumque morum officinam,
in qua Vestro litans cum in Ecclesia, tum in Schola honori GRA-
PIUS vitam suam viresque consumsit, prosequimini. Respicie bene-
volo liberali; oculo semivivam in dolore Viduam, & quantopere de-
functi merita aestimetis, erga matronam, verum omnium
virtutum compendium, thalamique GRAPIANI pignora, ad
sempiternam nominis vestri celebrationem demonstrate. Sie
merces in cœlo Vesta DEUS erit, nosque precum nostrarum
ardore millecuplam à DEO benedictionem exorare nunquam
intermittemus. Quod vero, quantumque Tibi inflictum morte
GRAPII Tui vulnus est, Venerabilis Senex, QUISTORPI? Qui
cum illo, ex eo potissimum tempore, quo in familiam Tuam
per nuptias exornatissimæ omni virtutum genere Filie Tuæ tran-
sit, una quasi anima, unumqve cor cum ipso factus es, neque
diffio-

dissoluto per Filiae præmaturam mortem hoc vinculo, ab isto in ipso
sum affectu, tenerrimo intimoque, vel hilum remisisti. Cum
ad properantibus celeri quasi pede senectutis Tuæ infirmitatibus,
quibus ex aliquanto tempore non tam affici, quam impetu quo-
dam conquassari videbaris, GRAPII Tui, ipsi pectori Tuо inti-
me adfixi, affectu, alloquo, conversatione, auxilio refici & con-
förtari debebas, solatium hoc & auxilium Tili eripitur, redigis
in quandam quasi solitudinem, Tibique cura & sollicitudo erga
Tuammet familiam sanguinemque Tuum longe quam antea ma-
jor, longeque molestior ad crescit. Accipe à supremo Numine,
Senex optime, quæ pro sapientia & voluntate sua tenili Tuо cor-
pori imponit, onera. Illud Te viribus ea non sustinendi tantum
sed & feliciter superandi instruere nunquam cessabit. In Te cura
salusque Ecclesiarum Rostochiensium & torius generis QUISTOR-
PIANI, tanto tempore in orbe literario celeberrimi, recumbit.
Confortet DEUS humeros Tuos, multiplicet dies Tuos, per Te sa-
lutem Rostochii nostri porro promoveant meritaque in nos omnes
Tua æterna beatitudine, quamquam, quod enixissimis ab eo pre-
cibus optamus, sero coronet! Ego vero, GRAPI, qui ab-
sentiam posthac Tuam patienter feram? Qui intimo invicem
amore complexi, divelli non posse videbamur. Id solummodo
solatio mihi est, quod ipsa me monente capulari senecta, brevi de-
nuo conjungemur, nunquam amplius ab invicem divellendi.
Dum viveremus uterque, has, quas incolo, aedes, ante te mor-
riturus, perpetuo destinaveram, ut saltem familiari cogitatione
mecum perpetuo versareris, nunquam mei, ceu & ipse erga Te
facturus essem, oblitus. Nunc dissociati quidem sumus, sed re-
dituri aliquando in longe familiaritus consortium, effusuro in nos
supremo Numine gaudiornm voluptatumque imbras, nunquam
in ulla temporum æternitate ab invicem divellendos. Superest,
ut & vos alloqvar, Cives; qui funus GRAPIANUM nec ipsi
fine acerbissimo animi sensu ac dolore intuemini. Qui vero fie-
ri possit, ut ex memoria vitaque vestra hujus doctoris vestri in
vos merita evulsa, ex animo vestro unquam effluant? Qva in
vobis animi promptitudine, qva eloqvii gravitate, quo Divini

Zeli fervore , fanioris puriorisqve doctrinæ fluenta in pectora
vestra derivaverit , quo pietatis exemplo ad vitam ordine vestro
dignum vos , quantum in se erat traduxerit , qvod nec valetu-
dini vitæque suæ , ut proveheret vestra studia , ut ad officia
DEO grata & Ecclesiæ fructuosa idoneos vos promptosqve red-
deret , ut labores , curas , vigilias salutis vestræ causa devoraret ,
appello fidem vestram , annon animo vestro memoriæque inhæ-
reat alte profundeq; infixum ? Qvare gratum adversus eum ani-
mum testari nunquam intermittite . Memoriam meritorum ejus
qvalibet vel data vel accepta occasione celebrare nunquam desistite .
Salutaris doctrinæ semina , in pectora vestra disseminata , nun-
quam suppressimite . Qvod vero grati memorisqve animi indic-
um , ex mortalium numero ereto , nunc quidem præstare
potestis , ut funus ipsius ad destinatum cineribus ejus quieti
locum frequenti comitatu vestro prosequamini , Collegii mei
nomine amice vehementerque contendو . DEUM verò , omnis
boni auctorem rectoremqve , devotissimis supplicationibus vene-
ramur , ut propitio posthac oculo respicere hanc sanctitatis suæ
sedem , hoc bonarum scientiarum & virtutum seminarium ,
tot docentium factam intra hoc temporis intervallum jaçturam ,
refarcire , superstitum labores salutari successu fructuqve coronare ,
utqye singuli hujus Athenæi cives instrumenta sint gloriæ Divinæ
salutisqve hominum promovendæ , pro ineffabili sua bonitate


efficere velit . Perscriptum sub Facultatis Theologica

sigillo , die XXVIII. Februar.i , anno

MDCCXIII.



rogati Rostochiensis , illi iracundia exæstuante
GRAPIANI pagellam decem integris quaternionib;
tudine , quod pietatis Professoribus hodie solen-
refellere annisi sunt . GRAPUS igitur denuo , ceu
Vindicias parare jussus , novo specimine inextinctu
defendendæque purioris doctrinæ ardorem testatu
perterritioque animo antiquam veritatem defendit
blica luce scriptum paulo ante fatalem morbum
tumque , ut orthodoxæ ad extreum usque vita
fisse GRAPUM , neque ullis maledictis probrisqu
gulari gloriæ suæ parte semper posuir , à firmo ani
moveri potuisse , immortale erigeret monumentum
ingenuum foveat pectus , si veritatem , è tenebris à
animo non fallaci & fucoso complectatur , si conc
sæ Servatore nostro tam sollicite commendatan
ne fraude amet , non in pretio habeat , collaudetq
ætrinæ nobis Divinitus traditæ tenaciter adhæren
sycophantarum audient cantilenas , si isthuc pacto
concordiam stulta novitatis studio potiorem habeat
vinculum in litium jurgiorumque materiam conve
teris orthodoxæ amorem , quem omnibus hujus mu
voribus , adulationibus , excogitationibus , crimi
rem habuit , quacunque data , immo accepta occasi
bus suis scriptis , disputationibus , programmatibus
ne quisquam de fixa animi sui sententia , conscienti
vjctione dubitare unquam possit , clarissime anti
Qua de re cumprimit amplissime testatur , non tan
Polemica libri celeberrimi quondam D. Rharwi ,
ante triennium ab ipso editi , ut hodie quoque , ita i
ne GRAPUS , in testimonium aliquod veritatis anti
cunque Novatirientes adduci possint ; ceu revera ejus
dari possunt , quotquot hodie novitatibus
Indifferentisticis delectantur ; sed & clarius longe te
bebit ipsius GRAP. Compendium Theologiae Posit
obligatione nostra erga DEUM deductæ , quod in



singulis propemodum thesibus varios sine ulla ~~πρωταγόρας~~ veritatis aduersarios, quibus thesis opponatur, subjicit. Nec in cæteris quoque scriptis, quorum plurima recentissimis novarum doctrinarum fabris opposita sunt, vel errores dissimulat, vel hypocriticarum more excusat. Ipsa docere hoc poterit ocularis inspectio. De iis, qui Pietismo aperte addicti sunt, nihil dicemus. Ex iis, qui veriorem se sectari partem videri volunt, non paucivapidam gestant sub pectore vulpem. Hi studiose cavent, ne unquam in argumentum sese immittant, in quo vel mentionem fieri fanaticorum necesse sit. Si declinari id nequeat, summâ cum moderatione judicium suum de eorum assertis interponunt, ne favoris hujus seculi hominum, qui rerum publicarum omnium finem in nullâ re alia publica tranquillitate ponunt, faciant jacturam. Dici poterat, mens ei fuerat in docendo, ingenua, fuisimulatio subsitit GRAPIANI nomine, hoc laudis & existimatiosus erat & negotiis agrasque noctes ob in scribendo, in amplissimo libro, Exegeti philosophi, ubi comparavit. omere exea, qualiter ipsius studiorum ipsi fuerat, ci qui Theologiae studio definito semper studie aperuit, sive ponere, sive adversus varios religionis, sive in disputando proque suggeritu perora, sive in S. Literarum exegesi manu duci, sive Ecclesiasticae cognoscere, sive Moralis disciplinæ solidiori notitia libui cuperent. Hanc quidem SCHOMERIANA methodo insistens cum Didactica Theologiae perpetuo conjunxit, testatus, mutilam hanc & mancam esse, nisi in illa universa simile

ex

